genericum, et habet diversas species ex diversitate specierum contrariae superius assignatarum. Ex parte verecundiae opponitur contrariae Inverecundia, quâ quis etiam de turpibus non timet exprobrari: et dicit verecundia non sit virtus, sed tantum quaedam laudabilis passio, inverecundia tamen simpliciter est vitium: quia quilibet defectus causat vitium; non autem quodlibet bonum sufficit ad rationem virtutis.

33. Vitium abstinentiae oppositum per excessum ex parte materiae et per defectum ex parte formae est Gula stricte sumpta, quae in 5 species dividitur expleatas hoc versiculo:

Praepropere, Laute, Nimis, Ardenter, Studiose.

Ratio: nam in usu ciborum 2 considerari possunt, nimirum: ipse cibus, et cibi sumptio. Porro ergo inordinatio attendi potest dupliciter: uno quidem modo quantum ad ipsum cibum, et sic quantum ad substantiam et speciem cibi quaerit aliquis cibos pretiosos et delicatos, et est Laute, quantum ad qualitatem quaerit cibos accurate praeparatos, et est Studiose, quantum autem ad quantitatem in excedendo excedit Nimis. alio vero modo attenditur inordinatio concupiscentiae quantum ad ipsam sumptionem cibi, et modum comedendi. nam si quis nimium praeveniat tempus comestionis, dicitur Praepropere, quod si nimio affectu, et avide in epulas effusus concupiscentia, dicitur Ardenter comedere. Filiae gulae sunt 5. scilicet: Inepta Laetitia, Scurrilitas, Immunditia, Multiloquium, et Hebetudo mentis.

34. Gula est peccatum mortale tunc, cum homo inhaeret delectationi gulae tamquam fini, ita immoderate usurpando cibos, ut illorum causa paratus sit etiam violare leges sub mortali obligantes, corporisque divinae amicitiae anteponat. verbo, quando quis ventrem Deum suum constituit. si vero in vitio gulae allegatur inordinatio concupiscentiae tantum secundum ea, quae sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum non tamen ita, ut propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum solum veniale. comestio autem nullo modo erit peccaminosa, si fit ex regulam temperantiae. haec regula desumitur secundum necessitatem praesentis vitae. inde namque sumenda est regula temperantiae circa usum ciborum, quo sumitur finis ciborum. sed finis ciborum sumitur secundum praesentem vitae necessitatem. Omnia namque delectabilia quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam huius vitae necessitatem sicut ad finem:

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII72/0364
gefördert durch Baden-Württemberg